13

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DIABETE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS CLAMPET, M. A. Hibernus.

Ad diem 29 Maii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud Hamilton, Balfour, et Neill.
M, DCC, LI.

AMICO SUO BENEVOLO

Reverendo ROBERTO CASHIN,

Ecclesiae Anglicanae Pastori,

HANC DISSERTATIONEM,

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

D. D. D.

GEORGIUS CLAMPET.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIABETE.

DISSECTIONES anatomicae cadaverumque inſpectio, ſedes morborum occultas explorando, medicinae abſque his adjumentis in tenebris haerenti, multum lucis attulerunt: cognita enim morbi ſede, remedia appoſita quadam virtute pollentia, quae operationem in hoc aut illud viſcus dirigit, facilius eligere poſſumus: applicationes etiam externae parti affectae, mali fomiti, felici cum ſucceſſu ſaepe admoventur.

NONNULLI autem in hunc maximi emolumenti ſcopum nimis anxie collimantes, autumare videntur, quod nullus eſt morbus, qui aliquod viſcus pro ſede ſua non agnoſcit; cum nihil magis verum ſit, quam quod in pleriſque morbis, fluidorum praeſertim, ſedem in aliquo viſcere fixam invenire omnino impoſſibile eſt: ſi autem viſcus in culpa ſit, cauſa morbi adeo remota evadit, ut prorſus incerta et

 hypothetica

hypothetica censeatur. Pro exemplo hujus erroris est Diabetes, morbus de quo nunc verba facturus sum, cujus sedem in renibus multi, alii autem in hepate [a], voluerunt.

Diabetes, a διαβαίνω *pertranseo*, est profluvium urinae insolitum sub aquae specie, quo omnia aegri fluida cum viribus exhauriuntur.

Quod inter veteres non frequens fuit hicce morbus, ex scriptis eorum satis clare apparet; praecipue autem ex Galeno [b], qui se tantum bis vidisse confitetur: Lommius [c] et Hildanus [d] se non, nisi semel, in tota sua praxi hoc malum observasse affirmant: hodie vero, cum luxui et intemperantiae se comitem saepius adjungere solet, non adeo rarus est.

Ex antiquioribus aliqui [e], in phaenomenis hujus morbi explicandis, commentitias quasdam facultates, attractricem, retentricem, et expultricem renibus adscripserunt; hasque dotes quodammodo depravatas hunc morbum producere censuerunt: at sanguinis circuitus detectus haec lascivientis cerebri figmenta penitus delevit, et homines ratiociniis suis basin firmiorem adstruere coegit.

Quamvis

[a] Actuarius, cap. xi. *Mead on poisons, essay* 1. *p.* 32.
[b] De loc. affect. lib. vi. cap. 3.
[c] Observation. Medicinal. lib. ii. p. 216.
[d] Observation. Chirurgic. centur. v. observat. 53.
[e] Oribasius de renibus, cap. xxvii.
Paul. Æginet. de re Medica, lib. iii. cap. 45.
Theophilus lib. de urinis, cap. 5.

Quamvis hunc morbum primo ingruentem dignoſcere difficile ſit, cum tamen inveteraverit, ſymptomata quaedam ab aliis morbis liquido diſtinguunt. Aretaeus [a] dicit, quod cum futurus eſt, os humore privatur, ſaliva eſt albida, ſpumans perinde atque in ſiti; nondum tamen ſitiunt.

Prognosis ex diuturnitate mali deduci queat; primo enim adventanti facile occurritur; ſed cum adoleverit, remediis parum auſcultat, neque facile evincitur. Riverius [b] ſenibus periculoſum aſſerit; Lommius [c] autem, quod curari nunquam poteſt, cum in vetuſtatem incidit, affirmat.

In cauſis hujus morbi inveſtigandis, a ſemita trita celeberrimis viris preſſa, quorum veſtigiis inſiſtere in aliis rebus mihi ambitio eſſet, paululum deflectere auſus ſum; quamvis ſatis compertum habeo, quam plena periculi res eſt, novas vel potius deſuetas in medium proferre opiniones, praeſertim cum medendi methodus his innititur; quamque inutilis eſt omnis theoria, niſi quatenus praxin vel promovet, vel corrigit: hanc igitur opinionem quam propoſiturus ſum, quorundam celebrium auctorum ſuffragiis firmare conabor.

Laxitas renum, pro prima, et pervulgata hujus morbi cauſa, a pleriſque [d] ſtatuitur; quae potius effectus vel ſignum

[a] Lib. ii. de ſign. et cauſ. diuturn. morbor. cap. 2.
[b] Prax. Medic. lib. xiv. cap. 6.
[c] Loco jam citato.
[d] Oribaſii ſynopſeωs lib. ix. cap. 35.
Boerhaav. Inſtitution. parag. 824.
Frederic. Hoffman. opera omnia, tom. i. p. 307.

ſignum morbi, a quo tanquam a cauſa ſua producitur, habeatur; mihi enim prae caeteris omnibus ſententia Williſiana arridet, quod hic morbus potius et immediatius ſanguinis eſt affectio, ab ejus diſſolutione orta, quam renum. Hanc opinionem omnibus nervis tueri nititur Williſius [a]; cui Huxhamus [b] etiam aſſentiri videtur his verbis; Sudor forſan profuſus, diarrhaea, diabetes, et ſalivationes ſpontaneae, a quadam ſeroſorum globulorum diſſolutione oriantur.

Aretaeus [c] hunc morbum hydropis ſpeciem exiſtimat, et eandem humorum colliquationem ſupponit, renes vero in culpa eſſe ne vel ſuſpicari videtur.

Primo hujus morbi adventu nullum apparet ſymptoma, quod renes vitiatos eſſe oſtendat; urina enim modo fere uſitato, ſolito autem pallidior et copioſior excernitur: hoc ſaepiſſime in multis caſibus, impedita a ſuſcepto frigore perſpiratione et ſimilibus, abſque aliqua ſecernentium vaſorum noxa, evenit: renes tamen, morbi decurſu, in ruinam etiam trahi, et a debilitate, quae per totum corpus graſſatur, tandem peſſundari, haud inficias ibo; hoc autem ſero fit, et morbo potius ſupervenit, quam praecedit.

Sanguinem ex globulis rubris ſero flavo innatantibus, hos autem ſingulos ex ſex ſeroſis, hos denuo ex ſex lymphaticis, conflari, omnibus in Medica arte vel tyronibus notum eſt: haec globulorum ſeries eouſque fortaſſe imminuitur,

[a] Pharmaceut. rational. ſect. iv. cap. 3.

[b] *Eſſay on Fevers, chap.* v. *p.* 46.

[c] de morbor. diuturn. curatione, lib. ii. cap. 2.

minuitur, ut non ſolum viſum, ſed captum etiam humanum effugiat: talis liquidi craſis ex particulis mole tam diverſis conflati, variis diſſolutionis gradibus hoc obnoxium reddit: et certus forſan diſſolutionis gradus certi cujuſdam morbi parens ſit, et humores, ad hanc potius quam illam glandulam tranſeundum, diſponat: ſic jalappa humores ad glandulas inteſtinales, mercurius ad ſalivales, nitrum ad renes, determinat.

DIATHESIS ſanguinis variis modis mutari poſſit; in ſeroſam vero colluviem ſequentia fundunt, nimirum liquida aquoſa, tepida, diluentia, emollientia; diuturnus liquoris ſpirituoſi abuſus, unde vaſorum elaſticitas, qua condenſatur ſanguis, deſtruitur; vita ſedentaria, balneum tepidum, multaque alia, quae recenſere non opus eſt.

SYMPTOMATA hujus morbi ſunt:

Copioſa urinae excretio, quantitatem liquoris ingeſti excedens.
Pallida et inſulſa urina.
Urinae color lacteus et dulcedo.
Sitis immodica, et febris quaedam hectica.
Intumeſcentia femorum, crurum et pedum.

COPIOSAM urinae excretionem colliquationem humorum neceſſario comitari facile patet: ſanguis enim jam diſſolutus per arterias renales vi cordis propulſus, harum ramulos ſubſtantiam renum perreptantes, nullo negotio tranſit; particulae enim orificiis arteriolarum reſpondentes, et nul-

lam ibi resistentiam invenientes libero itinere feruntur, et quasi transcolantur. In hoc loco argumentum haud invalidum obiter occurrit, quod viae renales non adeo patulae sunt, ut vulgo censetur; si enim sic se res habeat, quid obstat quo minus hae laxatae et ampliatae arteriolae globulos rubros transmittant, ut hominibus debilitatis super strata viarum rheda invectis, frequenter, nunquam autem, quod sciam, in hoc morbo accidere solet.

Hominis sani urina, ex aqua, sale, oleo, et terra, constat; inter haec elementa aqua prae reliquis abundat, sal sapore suo, oleum colore et odore se prodit: experientia comprobatum est, urinam jamjam a secernentis organi actione pelvi infusam, limpidam prorsus et inodoram esse; principia etenim caetera aquosis particulis adeo copiose diluuntur, ut sensibus nostris se manifestare haud possint: haec lympha autem colorem subflavescentem, saporem salsum, odoremque rancidum mora sua in viis urinariis induit, qua partes tenuiores et aquosae absorbentur, et tunc caetera elementa sensibus nostris patentia facilius percipiuntur. In hoc autem morbo, ob tenuitatem humorum transitus celerior conceditur, quam ut mora ad hanc absorptionem necessaria detur; et fortasse vasa absorbentia adeo debilitentur, ut suis officiis fungendis omnino inepta evadant; praeterea, cum color urinae magna ex parte ab oleo renixu vasorum attenuato, sapor vero a salibus exaltatis pendere videntur, facile apparet, quod languente fluidorum motu, attritus satis validus, quo color et sapor sanae urinae producantur, haud fiat: hinc pallida et insipida devenit

urina.

urina; ideoque in hoc morbi ſtadio cum ſapore ſanae urinae collata, dulcis utcunque vocari poſſit.

Color urinae lacteus organa ſanguificationi inſervientia diuturno malo jam debilitata teſtatur; haec enim, vi ſua elaſtica imminuta, chylum e ductu thoracico ſanguini affuſum, miſcere, aſſimilare et elaborare haud poſſunt, at crudum et fere immutatum ad renes ſub ſpecie lactis trajiciendum amandant: ſanguis puellae chloroſi laborantis ex vena imprudenter ſecta emiſſus hoc clare demonſtrat, fere enim inſtar chyli albeſcit.

Dulcedo urinae a multis tanquam ſymptoma hujus morbi pathognomicum cenſetur: in explicatione vero hujus phaenomeni multum inter ſe diſcrepant.

Williſius dicit, "Ita [a] ſuſpicari fas ſit, urinam in Diabete "adeo dulceſcere, eo quod ſalibus in ſero combinatis par"ticulae quaedam ſulphureae ex colliquatione ſolidarum "partium debilitatae accreſcunt."

Keilius [b] autem, "Pars ſanguinis rubra in ſero liquata, et "per renum glandulas amandata, non aliter urinae dulce"dinem conciliat, quam lithargyrus aut corallium aceto, "cum ſalibus nempe coaleſcendo, eorumque figuras, ac "proprietates immutando."

Celeber-

[a] Loco citato.

[b] Tentamina Medico-phiſica, tentam. iv. p. 121.

Celeberrimus autem Mead [a] hanc urinae dulcedinem defectui ſalis in aquoſa bilis parte, quam ait abſque ſale dulceſcere, attribuit.

Si vero haec dulcedo ſaccharina morbi ſtadium, in quo color urinae lacteus adeſt, comitetur, haud difficilis explicatu videtur: omnes enim norunt, quam minimam inter lac et chylum differentiam intercedere; et ex chymicis patet, quod ſal lactis eſſentiale indole ſua ſaccharum quodammodo aemuletur.

Immodica et inexplebilis ſitis morbi hujus comes dirus et importunus ſemper adeſt; quamvis enim pars aquoſa ante omnes in ſanguine abundat, tamen quum continuo haec eadem ad renes ruat, reliquae corporis partes naturali ſuo humore privantur, et glandulae irrigationi oris, et totius tubi inteſtinalis dicatae, fere areſcunt: in oeconomia etenim animali pro axiomate poni poſſit, una aliqua ſecretione aucta reliquas omnes minui: praeterea humores inquilini a vitiato ſanguine ſecreti, a conditionibus ſanis deflectunt, et acrimoniam ſuſcipiunt, quae tenuem, ſubacidulum potum ad eam diluendam efflagitat; hinc ſitis praeſto eſt, ut haec acria dilui, diluta vero e corpore pelli poſſint: tale quid hydropicis accidit, in quibus licet aquoſa colluvies tanta pene ſit, ut hac demerſi ſuffocentur, tamen ſiti inſatiabili plerumque miſeri torquentur.

Multae cauſae ad febrim hecticae ſpeciem producendam

[a] Loco citato.

dam ſimul concurrunt. In fluidis noſtris, ut obſervat Van Swieten [a], certus ſoliditatis gradus, quo motus his vi cordis impreſſus continuari poſſit, requiritur; quando haec debita ſoliditas abeſt, inertes evadunt humores, et per canales ſuos difficilius propelluntur; hanc humorum inertiam cor repetitis ictibus ſubigere conatur, nec ſe ob fibrarum ſuarum debilitatem penitus evacuare valet, ſed ſemper fere in ſe retinet aliquam ſanguinis partem, quae ad contractionem ſtimulat, et hanc febrim hecticae aemulam excitat; et fortaſſe humores hi lenti torpidique, mora ſua in vaſis, acrimoniam quandam ſuſceperunt, quae cor ſenſile vellicat, et in tales repetitas contractiones urget.

Extremitatum inferiorum intumeſcentia, cum aliis ſymptomatibus jam memoratis, magnam inter hunc morbum et hydropem ſimilitudinem indicare videtur, quam aliqui auctores, ut antea notavimus, obſervarunt: hi tumores ſub noctem imprimis conſpicui ſunt, mane vero evaneſcunt, et ex hoc oriri videntur, quod fibrae vaſa componentes, jam morbo labefactatae, liquidis diſtendentibus nullo cum renixu cedunt; tumores hujuſmodi in partibus pendulis a cordis impetu remotioribus ſaepius apparent, ipſa etenim fluidorum gravitas ad reditum impediendum, cum aliis cauſis conſpirat; ſicque hoc ſymptoma plerumque evaneſcere horizontali aegri decubitu, veſpere vero ob cauſas praedictas, redire videmus.

In morbo, ab auctoribus inter ſe toto coelo diſſentientibus,

 explicato,

[a] Commentar. in Aphoriſ. § 43. p. 53.

explicato, certam ſtabilemque medendi methodum inſtituere haud facile eſt; ſinguli enim methodum ſuis ſententiis congruam excogitarunt: alii [a] abſtinentiam ab omnibus aquoſis, et urinam cientibus praecipiunt, alii [b] autem horum uſum commendant; alii [c] adſtringentia praeſcribunt, alii [d] autem tanquam inefficacia, imo exitialia condemnant: at notatu dignum eſt, quod inter tot varias et diverſas opiniones, aqua calcis locum ſuum tenet, et a pleriſque [e] praeſcribitur.

Qui hunc morbum imbecillitati renum aſcribunt, hi, ſi ſibi ipſis conſentiant, ab aſtringentibus remediis curationem inchoare debent, quae, ſi fidem auctoribus quibuſdam non inferioris notae adhibeamus, in initio morbi periculoſiſſima ſunt, quoniam fluxum urinae cohibent, et hoſte nondum expulſo, peſſulum foribus obdunt, viam praecludunt, multaque mala ſymptomata pariunt.

Aretaeus Cappadox dicit [f], "Sin autem vel parum "temporis a meiendo abſtinuerint, intumeſcunt lumbi, "teſtes, et ilia."

Junkerus ſic etiam [g], "Aſtringentia ſi in Diabete ad fluxum

[a] Celſus, lib. iv. cap. 20. Paul. Æginet. de re medic. lib. iii. cap. 45.
[b] Keil. Tentam. medico-phiſica, tentam. iv.
[c] *Shaw's Practice of Phyſic, part* 1. *ſect.* 15. *p.* 256.
[d] Willis. loco citato.
[e] Vid. Willis. Keil. et Mead. locis citatis.
[f] Loco citato.
[g] Conſpect. medicinae, tabula 100. p. 811.

"fluxum cohibendum adhibentur, viſcera vehementius "conſtringunt, tumores lumborum, immo, aſcitem et "mortem accelerant."

Certe rationi conſentaneum videtur, quod niſi prius fluidorum vitium corrigatur, quam renes conſtringantur, ab uno loco fruſtra arcemus, cum in alium magis patulum, et qua data porta citiſſime irruent.

Hac de cauſa igitur in initio hujus morbi ab adſtringentibus prorſus abſtinerem, cum indicationes curativae ita ſeſe habere videntur.

Primo, Sanguinem invigorare, et particulis nimis facile a ſe mutuo dilabentibus, cohaeſionem conciliare.

Secundo, Partes ſolidas corroborare, et morbi reditum praecavere.

Ad primam indicationem reſpondendam, remedia balſamica, incraſſantia, exhibenda ſunt. Gummi Arabicum, tragacantha, ichthyocolla, emulſiones ex amygdalis dulcibus, piſtaciis, et ſeminibus papaverum alborum, decocta ex althaea, et conſolida majori: lac coctum, opium etiam, quod perſpirationem auget, ſicque reliquas ſecretiones minuit, bonos praeſtat effectus. Omnibus autem modis ſanguinem compingentibus medicina gymnaſtica palmam facile praeripit; et hinc fit, quod laboribus exercitati ſanguinem magis coccineum habent, quam qui vitam ſedentariam et inertem degunt; haec autem intendi aut remitti poſſit pro

viribus

viribus aegri, initio a lenioribus exercitiis facto, et ad valentiora senſim progrediendo; ſi vero adeo debilis ſit aeger, ut exercitium ſuſtinere haud queat, frictio vices ejus quodammodo ſupplere poſſit.

Quando ex imminuto urinae fluxu, et aliis ſymptomatibus mitigatis, compertum ſatis haberem, quod ſanguinis craſis in melius mutabatur, ad ſecundam intentionem animum adverterem.

Partes ſcilicet ſolidas corroborare, et morbi reditum praecavere. Ad hanc implendam in uſum revocanda ſunt adſtringentia, cortices nimirum granatorum, cortex Peruvianus, rhabarbarum modice ſumptum, radices tormentillae et biſtortae, fructus meſpilorum, et hujuſmodi, in formulis aegri palato arridentibus; aquae etiam chalybeatae prodeſſe poſſunt, aqua calcis propinanda eſt ad quantitatem unciarum quatuor ter aut quater de die; per decurſum hujus morbi totum, victus ſit levis, ſiccus, et parcus, ex hordeo, oryza, tritico, milio, pane bis cocto, gelatina ex cornu cervi vel pedibus vitulinis, cum pauxillo grati cujuſdam acidi; cyathus vini meracioris ſubinde concedatur, et ad ſitim ſedandam, potus ſit ex emulſione Arabica, cum elixiris vitrioli aut ſpiritus ſulphuris per campanam q. ſ. ad gratum acorem: his demum aegro inſiſtendum erit, donec omni ex parte convaluerit.

F I N I S.